

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Röper

## **De Eclampsia : Dissertatio Inauguralis Medica**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXXV.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010469479>


Druck    Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU med. 1835

Roeper, Car. M. A. H.







*Arb. 8*

# DE ECLAMPSIA.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

IN ACADEMIA LITERARIA ROSTOCHIENSIS

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAR. MAGN. AUG. HENR. ROEPEL

BÜTZVOVIENSIS.

---

ROSTOCHII

TYPIS ADLEFIANIS.

---

MDCCXXXV.

LIBRARIUS ETIENNE

ADIEUM SILENTIBVS IN QVINTA LIBERTATI

MATTO

IN LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

BIBLIOTHECA MONASTERICI

EX BIBLIOTHECA MONASTERICI



V I R O

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO  
EXPERIENTISSIMO

**CAROLO STREMPPEL**

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI COLLEGII CUI A  
SERENISSIMO MAGNO DUCE MEGAPOLITANO - SUERINENSI  
RES MEDICINALES COMMISSAE SUNT MEMBRO ORDINARIO  
PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN INCLYTA LITERARUM  
UNIVERSITATE ROSTOCHIENSIS INSTITUTI CLINICI MEDICO-  
CHIRURGICI IBIDEM DIRECTORI

**PRAECEPTORI ET FAUTORI**

DE SE OPTIME MERITO

ORIUS

MISSALIA CANTICUM

CHERUBIM ET ANGELI

HASC

**STUDIORUM SUORUM**

**PRIMITIAS**

A IUD. HAMILTONIUS EQUITUS BARONIUS DE MONTAGUE  
INSTITUTUS - EXCELSITATEM QVAM QVIAM CANTABANT  
OBSCURISQ; ORBICULIS VAPORIS ET TERRAE

**GRATI ANIMI AC PIETATIS MONUMENTUM**

EX STARE

CONCILIO ET CONVENTUO

CHOTUS ET CHOTUS

CHOTUS ET CHOTUS

VOLUIT

**AUCTOR.**

---

## PROOEMIUM.

---

In tanta imbecillitate eligenti mihi eam rem pertractandam de cuius natura atque indole omnes omnium temporum medici nihil, quod ab omni parte comprobari possit, protulerunt, imploranda est Lectoris Benevoli humanitas atque indulgentia. Nam quum intellexisse, morbi periculum atque vehementiam summam vel diligentissima atque exacta medicorum cura saepenumero non feliciter propulsatam esse, haud abs re videbatur, varias summorum viorum sententias breviter quantum fieri posset, componere, compositasque publici juris facere.

---

- A. Schafonsky, *Dissertatio de gravidarum, parturientium et puerperarum convulsionibus.* Argentor. 1763.
- Gerischer, *Dissert. de eclampsia parturientium.* Lips. 1777.
- Gehler, *de eclampsia parturientium.* Lips. 1776.
- G. F. Hoffmann, *über die Ursachen und Heilmittel der sogenannten Gichter oder Convulsionen.* Frankf. a. M. 1795.
- Hamilton, in Hufeland's, Schregers und Harles Journal der ausländ. medic. Literatur 1802.  
II. pag. 3.
- J. L. Fritz, *De convulsionibus gravidarum et parturientium.* Wirceb. 1809.
- L. Mongel, *Dissert. de gravidarum et partur. convolutionibus.* Argentor. 1810.
- C. F. Wagner, *De eclampsia exquisita in partu.* Marb. 1817.
- J. F. Weber, *Dissert. sistens observationem eclampsiae in partu.* Marb. 1819.
- Praeterea comparanda sunt scripta obstetricia et pathologico-therapeutica edita a  
Wigand, Lachapelle, Carus, Busch;  
Schoenlein, Meissner, Naegle aliisque.

**D**uo sunt Eclampsiae genera, quorum alterum in parturientibus, alterum in infantibus observare licet.

### **A. Eclampsia parturientium.**

Inde a Cullenii temporibus medicos prorsus latuisse videtur, quid intercederet discriminis inter eclampsiam et epilepsiam. Hamilton (Tom V. S. 513) primus denuo utriusque hujus morbi signa et indolem jure ac merito sejungenda esse perspexit; cuius quidem viri partes nostris temporibus Wigand <sup>1)</sup>, Busch <sup>2)</sup>, Naegele, Lachapelle <sup>3)</sup> et alii secuti mor-

1) Wigand: Geburt des Menschen, herausgegeben von Nägele. 1 Thl. S. 253. Berl. 1820.

2) Busch: Lehrbuch der Geburtshütte. S. 187. Marb. 1833.

3) Lachapelle: Pratique des accouchemens, par

bum certis circumscriperunt finibus, quos alii, ut Conradi (Tom V. S. 515), cui eclampsia dicitur epilepsia acuta, minus fideliter ac religiose observant, alii denique, ut Berend et Puchelt <sup>4)</sup>, utrumque morbum nihil differre rati, prorsus negligendos censem.

### §. 2.

Morbus etsi prioribus graviditatis mensibus et post ipsum partum incidit, parturientes tamen potissimum vexat et, ut Naegele et Dewees narrant, plerumque mulieres antea validas, primiparas easque, quae difficillimis adsuetae laboribus atque rerum angustiis, in ipsa graviditate mollem vivendi rationem degere coguntur; mulieribus contra, quae antea spasmis saepius affiebantur, eclampsia minus periculosa est. Cujus rei causam inde repetendam ducunt, quod talium mulierum uatura similibus morbis jam sit adsueta.

---

Dugès. Paris 1825. Tom III. S. 16. L'épilepsie offre dans ses accès beaucoup de ressemblance avec l'eclampsie des femmes en couches; mais son caractère est bien moins grave. —

4) Puchelt: System der Med. Bd. II. S. 562.

## §. 3.

Eclampsiae adventum prodromi annunciare solent. Parturientes dolore quodam afficiuntur in praecordiis, quem Wigand<sup>5)</sup> ex consensu uteri cum stomachi nervis repetit, et ut vomitum, qui in tertia partus periodo observari solet, sic dolorem oriri putat; quamquam non negat, dolorem in ipso uteri fundo, ad cardiam usque pertinente, sedem habere: quae quidecum sententia majorem quam altera illa prae se ferre videotur veritatem, in eamque Schönlein<sup>6)</sup> quoque juravit, dicens: eclampsiam titillatione in uteri fuudo (fießende Wehen) exorta prodi et nunquam in vehementioribus partus doloribus, sed in levioribus tantum irrumpere. Haec ille. Fieri quoque solet, ut praecordia nullo afficiantur dolore, sed tum vomitus plenissimus exortitur, praesertim si convulsionum causa in primarum viarum sordibus aliisve indigestionibus posita est. Inter prodromos est Cephalalgia vel certissimus. Paucis horis ante adesse solet et quidem in occipite maxime: quod quidem symptoma eo magis capitale habendum est, quum

---

5) Wigand: l. c. pag. 254.

6) Schönlein: Vorlesungen über Pathol. Bd. IV.  
S. 169.

videamus mulieres, quas cephalalgia alias vehementissime vexabat, inter partum ea non affectas esse. Alii alias generis prodromi referri debent ad nervorum systema interpellatum.

At non semper certi eclampsiae antecedunt indices; aut enim praeter omnem nonnunquam exspectationem ipsâ subito parturientes afficiuntur, aut deprehenduntur alia indicia per constitutionem et corporis fortuitam conditionem extorta atque adducta. Sic, ut alia mittam, de Siebold exemplum assert, ubi vehementissimus antecesserit rigor; Davies et Mende [I. S. 578] amauroses sese observasse dicunt praetereunte.

#### §. 4.

Convulsiones ubi erumpere incipiunt, aegrotantes fiunt obstupefactae, soporosae, in loquendo delirant, manus projiciunt, quasi molesti quid <sup>7)</sup> e pubis regione remoturae. Jam vehemens cerebri affectio fit manifestior; vultus calefit, rubescit, et cum extremitatibus et toto denique corpore motu convulsivo agitatur. Caput sensim sensimque torquetur, idque in sinistrum fere latus, ut Wigand <sup>8)</sup> <sup>9)</sup> notat,

7) Busch: I. c. pag. 187.

8) Wigand: I. c. pag. 255.

9) ibid. pag. 261.

qui hoc plerumque symptomate in ceteris paroxysmis indicari censem momentum illud, ubi convulsiones universales undique erumpere soleant. Manus sunt clausae aut pronatae; antibrachia spastico motu pectori admoventur, et in utrumque latus porriguntur; oculi in orbitis, et saepe in contrarias partes volvuntur; nec minus lingua, spuma alba obtecta, libera est a spasmo illo universalis, immo fieri videmus saepenumero ut, nisi dentes instrumento quodam [subere, aut cochleare linteo involuto] distracti teneantur, maxilla inferiori spasmo graviter arrecta misere dilaceretur. Hinc causa peti debet, quod in convulsionibus eclampticis nonnulli sanguinem aut spumam cruentam ex ore profluentem viderunt. Nimius sanguinis in cerebrum impetus in toto sensorio turbas concitat acerrimas. Aegrotantes omnino carent rectamente <sup>10)</sup>, ita, ut oblitae videantur, sese perperisse <sup>11)</sup>; auditus fere nullus adest, nec sentit sonitum fortissimum; pupillae dilatatae sunt, et in nimio tantum luminis splendore affici solent [etsi Wigand quoque iridem spasio clonico

---

10) Busch: I. c. pag. 190.

11) Lachapelle: „la malade“, inquit, „ne se souvient en aucune façon de ce qui s'est passé“.

afflictam vidit, ut quidem pupilla modo valde contraheretur, modo distraheretur].

Non minus ceterae perturbatae sunt functiones; respiratio irregularis, stertorosa atque pulsans conspicitur; glandulae salivales majorem secernunt saliva copiam, quamvis viscosam, ut in epilepsia fieri solet: qua procul dubio re aegrotantium stertor gravior redditur. Sanguinis circulatio valde adacta in pulsu citato atque fortissimo, in coniunctiva oculi sanguine imbuta, in sudore universalis atque vultu valde rubescente manifestatur.

§. 5.

Singuli convulsionum impetus varii sunt temporis pariter atque vehementiae. Primus fere impetus [est factum legimus primum jam paroxysmum mortem attulisse] minus periculosus esse celeriusque evanescere solet. In iis, qui sequuntur, impetibus convulsiones quidem brevioris temporis et debiliores fiunt, ast aegrotantes defatigatae jacent in sopore graviori, difficilius excitandae, quin etiam nullo negotio excitari possunt, ubi crebriores sese insecuri sunt paroxysmi. De intervallis autem, quae inter convulsiones sunt, nihil certi afferri poterit. Plerumque post quartam horae partem, vel post

semihoram impetus redit convulsivus; sed non desunt exempla, ubi intervallum incidit duodecim vel sedecim horarum, vel complurium dierum. In longioribus vero intervallis aegrotantes meliori fruuntur conditione quam ante impetum; ab omnibus se sentiunt liberas morbi molestiis, si debilitationem quamdam membrorum ac dedolationem exceperis.

§. 6.

Eclampsiam si cum aliis componere volueris morbis, invenies, inter eam et Hysteriam [Wigand: leichte Convulsionen] Apoplexiā et Epilepsiam magnam symptomatum similitudinem intercedere. Quare non mirabimur, quā factum sit, ut cum illis morbis, ac praecipue cum epilepsia, tam frequenter commutata esset.

Et apoplexiae et epilepsiae symptomata habet quasi conjuncta. Namque animadvertisimus sanguinis motum ad cerebri vasa abnormem acerriimumque, et multorum organorum ut linguae, vesicae urinariae, intestini recti aliorumque debilitationem aut paralysin; at praeterea, prorsus ut in epilepsia, membrorum adsunt spasmi clonici, oculi volventes atque oris spuma.

Aliud convulsionum genus, quae post nimiam sanguinis effusionem [in metrorrhagiis] praecipue

obviae] ex anaemia oriuntur, cave hoc trahas.  
Attendas necesse est ad sanguinis effusionem praegressam, ad pulsum parvum, debilem, ad vultum pallidum collapsum; quae quidem symptoma in eclampticis convulsionibus nunquam ad sunt, nisi mors ipsa jam accedat.

§. 7.

Prognosis plerumque maximis obnoxia est dubitationibus, idque potissimum tum:

a) si organum multum valens aegrotat, aut diathesi morbosa afflictum est; pauca ut conferam: ubi cerebri functio, interrupta est, per exostoses cranii, per hydropem ventriculorum <sup>12)</sup>, ubi substantia istius in massam mutata est steatomotosam, sarcinatosam, hydatigenosam etc. Non minus vero morbi pulmonum aliorumque in eorum vicinia viscerum majus reddunt eclampsiae periculum: respicias tubercula pulmonum, vomicam, hydrothoracem, hydropem pericardii etc., quia, ubi sanguinis circuitus illis interrupitur, sanguinis copia in corde tum in vena jugulari ac cerebri vasis denuo aggregatur.

---

12) Busch: I. c. S. 187.

- b) Si impetus diu durant, vehementes sunt et alius alium tam celeriter sequitur, ut intervalla vix cognoscere possis. [Mercatus: „si occasiones“, inquit, „frequentius irruant, nil mirum est, si in apoplexiam degeneret“; Roederer (§. 697) vero: „apoplectica puerpera moritur“.]
- c) Si inter convulsiones, quas observare licet, tetanus quoque uteri accedit; tum quidem statuere poteris, nervorum actionem gravissime esse affectam. Deinde vero periculum in eo cernitur summum, quod uteri tetanus partus negotium retardat.
- d) Si convulsiones plures menses ante justum partus adventum ingrediuntur.
- e) Si eclampsia in mulieres aetate jam provocatas, easque primiparas, invehitur, nec evanescit cum ipso partu.
- f) Si pulsus per intervalla non recreatur, sed parvus manet ac debilis; si aegrotis insciis urina propellitur, et faeces sphincteribus non retinentur; si tandem facies hippocratica, totumque corpus, frigido sudore ac tenaci obiectum, vires debiles jam indicant.

§. 8.

Quamvis igitur eclampsiae origo valde obscura sit atque ex physiologia et pathologia nihil certi de ea peti possit, inveniemus tamen, si usum et diurnam consulere voluerimus experientiam, morbi causam plerumque positam esse in summa ad spasmos corporis inclinatione et plethora sanguinea. Quae igitur nobis erunt causae praedisponentes. Assentiant *Meissner* <sup>13)</sup>, *Schönlein* <sup>14)</sup>, *Münchmeier* (pag. 47), *Paletta*, *Dewees* et alii, statuentes, convulsionum sedem praecipue pescere constitutionem nervoso-sanguineam, neque *Chaussier* et *Naegele* <sup>15)</sup> aliter judicant, si totam vivendi rationem, qua constitutio illa facilius enascatur, respici debere jusserunt. Praecipue vero notatu erit dignissimum, primiparas <sup>16)</sup> maxime eclampsia vexari:

---

13) Schoenlein: l. c. pag. 169.

14) Meissner's Forschungen d. 19ten Jahrh. im Gebiete d. Geburtshülse. I. Bd. 1. Thl.

15) Nägele in seinen Vorlesungen über Gebh.

16) Attamen etiam multiparae iis laborant. Sic Fr. Haase (Tom. V. S. 635) morbum in secunda, Mauriceau in quinta, Reisner in quarta, aliique demum in sexta graviditate incidisse narrant.

quod quidem eo explicari potest, quoniam primipararum uterus minus expeditus est atque solutus, quam multipararum, ideoque minorem sanguinis copiam amplecti potest, praesertim, si latera ejus nimia liquoris amnii copia, vasto foetu aut geminis valde extensa, et compressa tenentur; quae res multis scriptoribus primariae habentur causae<sup>17)</sup>.

Vehemens vero sanguinis ad cerebrum collatio inde luculenter explicari potest, et complures observationes eam probant. Convulsiones e. g. in ipso partus dolorum initio erumpere solent, ubi, quominus sanguis in uterum intrare possit, prohibitum est; paroxysmi evanescunt cum dolorum silentio, neque omnino redeunt, si velamentorum ruptura, partu peracto, aut substantiae quadam laesione uterus ab obstaculis liberatur, quia tum restituitur justus sanguinis circuitus.

Permulti scriptores proprius accedunt ad hanc opinionem, etsi singulares causarum concurrentium graves tantum putant. Sic El. de Siebold pectoris atque cerebri vitia organica, quae in mulierum eclampsia consumptarum sectionibus

---

17) Lachapelle: 1. c. pag. 6. „celles dont l'utérus est fortement distendu par une grande quantité d'eau.

invenerat, causas putat esse praecipuas. Denman atque Smellie sibi persuasum habent, causis in aëre sitis convulsiones maxime procreari, quum rure rarius quam in oppidis et praecipue in nosocomiis exortae inveniantur. Carus (I. S. 124.) inclinationem quandam hereditariam sese animadvertisse confirmat. Nemo vero conspirat cum Jewel, quippe qui vidisse sibi visus sit, quomodo convulsiones apud mulierem, quae ante quatuor hebdomades mulieri eclampsia correptae aderat, solo exemplo procreatae fuerint, id quod in Chorea St. Viti, epilepsia atque aliis nervorum morbis factum constat. Krimerii sententia, ex qua uteri inflammatio primaria esset caussa justa adhuc expers videtur experientia.

Causae occasioales etsi sat frequens earum numerus est, non accurate tamen saepe inveniri possunt, et inter gravissimas nominasse sufficiat: animi affectus vehementiores, dolores in diurno partu longius durantes atque atroces<sup>18)</sup>, victum denique incitantium nutrimentorum atque medicamentorum usum inter aut ante partum<sup>19)</sup>.

---

18) Lachapelle: l. c. pag. 5.

19) Nägele: Lehrbuch der Geburtshülfe. Heidelb. 1833. S. 298. 3.

§. 9.

Medela prophylactica instituatur mulieribus, quae prius jam convulsionibus vexabantur, aut in eas inclinant; versus graviditatis finem aperto perfruantur aëre diligentissime necesse est. Plethoram sanguineam evitabunt, idque vesperarum tempore maxime, quum cibum animalem, nimis nutritibilem, coffeam, theae infusum aliasque res sanguinem concitantes repudiaturae sint. Justus sanguinis in alvo circuitus conservetur laxantibus, iisque infarctorum quoque cumulum propulsabis. Occipiti, dolore affecto, hirudines admoveantur, at in plethora jam luculenter manifestata tribus ultimis graviditatis mensibus venae sectio rite adhibita certum saepe affert auxilium [D'Outrepont. Bd. II. S. 191.]

Ratio ac via, qua convulsiones jam eruptae sanari debent, fere haec est:

- a) removeantur res nocentes;
- b) evitetur plethora, cum universalis tum localis, in cerebro;
- c) sedentur nervi concitati;
- d) Si medicamenta vero, quae adhibita sunt, vana fuerint, mechanica in utero obstacula artis auxilis [Désormeaux III. S. 454] removеantur, ut justus redeat sanguinis circuitus.

a) Convulsiones, nisi in corporis conditione habituali innisae, sed paulo ante rebus infestis allatae sunt, aptis medicamentis, mature in usum vocatis, sublatas esse legimus. Sic Mathias methodo antispastica secundum Stütz, [Kali et Opio] quam Brüninghausen etiam confirmatam vidisse narrat, convulsiones sanavit, quas refrigerium adduxerat. Fischer et Wigand eclampsiam indigestionibus allatam felicissime removerunt vomitivo. Et Wigand <sup>20)</sup> affirmat, tunc vomitivum propter aggregatam ad cerebrum sanguinis molem non valde timendum esse, et compluria affert exempla, quibus demonstrari putat, vomitivi effectum nunquam inter convulsiones, sed in ipso demum statu soporoso conspici solere.

b) Quod porro supra diximus, plethoram universalem ac localem removeri debere, id optime ita efficitur, ut vena jugularis aut brachialis <sup>21)</sup>, rerum ratione habita, seetur, et hirudines sat multae ad tempora, ad processum mastoideum, sive collum admoveantur. In tam praeclaro medicamento, ut his in casibus san-

---

20) Wigand: l. c. pag. 275.

21) Busch: l. c. venam saphenam secandam esse monet.

guinis detractionem esse constat, nemo anxie Auglorum sequetur consilium, sed caute potius probeque constitutionem semper respiciet, ac prohibebit, ne viribus nimium debilitatis celeriter vita extinguitur. Alii quidem venae sectionem efficacem esse negant, ejusque potius vim valde dicunt dubiam atque incertam; nihilominus exempla a D'Outrepont, Ed. de Siebold, Münchmeier, Busch, Désormeaux, aliisque allata graviora considerentur necesse est. Non minus salubre hac in re est, capiti frigus adferre, glacie, fomentationibus Schmuckerianis, aut Naphtae lotione; non vero abdomini, ut hoc modo ganglia irritentur, quum adsit periculum, ne refrigerium uteri incidat.

Balnea tepida pedum, alcalinis mixta substantiis, cutis praeterea etiam incitamenta, sinapi, radice armoraciae contrito, cantharidibus effecta, multum valere, quum sanguinem in corporis partes a capite remotas detrahant, non est cur moneam. Inter illa autem instrumentum Carlislei primum mihi videtur obtainere locum, quum celerime prae ceteris adhiberi queat et vario gradu efficax, prout volueris, inde a levi cutis irritatione ad graviorem usque combustionem. Nam quum in aliis nervorum affectionibus, tum

in convulsionibus etiam, quas duce Strempel,  
Viro Illustri, qui hoc instrumento complures  
per annos feliciter usus est, sanari, praecclare  
comprobatum vidi.

c) Medicamentis istis, quae tertiam sanandi  
partem efficere supra proposuimus, quum gravis  
sanguinis quidem agitatio est sedata, nihilominus  
tamen convulsiones desinunt, aut saltem rariores  
fiunt, tum est utendum: antispasmodicis quidem,  
in qua vero re summa cura atque cautione opus  
est <sup>22</sup>), quoniam ipsa illa sanguinem denuo  
agitant atque congestionem in cerebro efficere  
possunt. Inter ea: Moschum, Opium, Valeria-  
nam, Liq. C. C. succin. praestantiora esse satis  
constat. Atque Opii dosis secundum Wigand <sup>23</sup>)  
pro vi ac ratione paroxysmorum singulorum sem-  
per est instituenda; tinctura igitur Opii addatur  
(dosi crescente; gtt. I vel II) huic mistioni:

Rx Rad. valerianaee unc. dim.

inf. c. aq. fervid. q. s.

ut colaturam abstrahere possis unciarum

sex.

D.

---

22) Naegle: I. c. 298 — 99.

23) Wigand: I. c. S. 278.

Quod cum ficeret Wigand, respexit potissimum impetus deinceps futuros, ut quam par erat, celeriter medicamento hocce desistere posset, utpote quod congestiones ad cerebri vasa facillime augere soleat. Dato opio, usus est China aliisque remedii roborantibus. Busch usum Pulveris Doweri laudat; alii denique in clysmate Opii utilitatem egregiam esse monuerunt. Moschum Kerzack et alii commendant, quem quidem, Calomelani admixtum multum valuisse dicunt. Acido hydrccyanico Remer et Strahsen usi sunt felicissime, quippe quod congestiones ad caput efficere nunquam soleat.

d) Quamquam vero contra E. de Siebold, Wigand, Jewel, Schenk aliorumque opinionem, qua partus acceleratio, quippe quae maxime necessaria sit ad convulsiones sanandas, multa eaque gravissima attulerunt argumenta Merriman, Davis et Betschler, negiri tamen nequit discriminem, in quod hac re parturient adigitur longe levius esse, quam ubi convulsiones prorsus saeviunt. Convulsiones cum partus negotio cohaerere nemo jam nostris temporibus insitiabitur; et quod dicunt convulsiones quoque post partum incidisse, id prorsus nihil est, quum uterus non statim post partum peractum, sed in ipso puerperio redux fieri possit

in pristinum statum. Dolores vero semper novam praebent convulsionum materiam ut supra [§. 8] attulisse videmur; accelerata igitur uteri excretio magnam habebit vim ad paroxysmos prorsus delendos.

---

B. Eclampsia infantilis.

---

§. 1.

Longe frequentius nobis sese offert alterum eclampsiae genus, quo infantes trium quatuorve annorum, praecipue vero ii, qui mammis nutritiuntur, vexantur.

De quo pauca.

§. 2.

Tenendum est, infantilem constitutionem et naturam omnino talem esse, ut facilius moveatur atque afficiatur. Et convulsiones tum incidere solent, si res existunt alienae, quae infantilem organismum, tam irritabilem atque debilem, vehementer laedunt; idque praecipue fieri solet: si abdomen refrigeratum aut vinculis nimis compressum est; si lac per vehementiores animi impetus, quibus mater corripiebatur, vitium traxit grave; si dentes erum-

punt; si lactis materni loco infantes incipiunt aliis frui nutrimentis; si vermium in tractu intestinali mole premuntur; si operationibus chirurgicis (ne valde quidem dolorosis \*) subiiciuntur, quod ipse duobus in casibus observavi; ut mittam hydrocephalum acutum, atque exanthematum acutorum eruptionem, praesertim scarlatinae, intoxationes etc.

§. 3.

Morbus plerumque his indicatur signis: faciei color variat et plerumque altera rubescit gena, altera pallescit; infantes inquieti sunt, et caput captant; si dormiunt terrore saepius excitari solent; afficiuntur in somno leni tremore faciei musculorum, praecipue musculi risorii Santorini, ita, ut ad risum compositi videantur. Haud raro febris praeterea accedit.

Paroxysmus eruptus haec fere exhibet symptomata:

---

\*) Müller; Dissert. convulsionum et epilepsiae infantum ex leviore dolore prodeuntium rationes medicae. Hal. 1757.

Sanguis ad caput concitatur; vultus rubescit; vox rauca fit; pedes abdomini arriguntur, aut mutuo sese terunt. Incidunt convulsiones, quae, etsi in varias dimanant corporis partes, saepius tamen ex abdominis musculis oriri et per diaphragma et pectus ad collum et faciem demum transire solent. Pulvinos lectuli occipite quasi perforare student infantes extremitatesque flectunt modo, modo extendunt. Cutis friget, tunc calefit; pulsus non aequabili ordine redeunt et parvi plerumque observantur; respiratio, pectoris spasmo oppressa, difficilis redditur, stertorosa, interrupta. Impetus vulgo non diu durant, et intervallum incidit ubi morbus prorsus remotus videtur; at, prout impetus magnus et vehemens aut brevis, virium confectionem majorem minoremve prodere solent infantes.

§. 4.

Morbi exitus pendet ex infantis aetate atque constitutione, nec non e sanandi ratione, quae quidem hic plus valet, quam in altero eclampsiae genere, quod supra descriptimus.

§. 5.

In persanando hoc morbo, causae proximae, quantum fieri potest, removeantur necesse est. Stomachi secretio, si acida est, magnesia carbonica (quam lenissima sane infantili ventriculo), Conchis praep., aliove remedio alkalino, mitigetur. Venena et materias perniciose e tractu intestinali vomitorio removeas. Vermes vero, si in tractu intestinali adsunt, abstine ab Anthelminticis, et leniatur intestinorum irritatio mucilaginosis, oleosis, lacteis. Metastasis (impetiginum) cutis irritamento, praeципue Trae Canthar. frictionibus atque Rubefacientibus ad collum et extremitates adhibitis redux fiat; spergendo deinde Pulv. Cort. Meczerei in loca epidermide orbata, quae diu jam materiam lymphaticam secreverunt, et in eo sunt, ut cicatrice obducantur.

At non semper iis, quae laudavimus, medicamentis malum tolli potest, idque propterea


- a) quod causae removeri nequeant;
- b) quod causae non amplius cognosci possint;
- c) quod indicatio vitalis quam celerrime auxilium in singulos paroxysmos adhiberi urget.


Tum quidem ut in altero Eclampsiae genere, talia in usum vocari debent remedia, quae congestiones leniunt derivantque, et nervos denique concitatos reddunt sedatos. Respondeant vero infantili constitutioni, non est quod moneam.


Quum apud infantes venae sectio admodum raro fieri queat, rectius hirudinibus uteris ad depellendas congestiones; in qua quidem re vindendum, ut justus numerus eligatur. Etsi opertandum erit quam maxime, sanguinis detractionem celerrime fieri, majorque igitur numerus utilior videtur, experientia nihilominus satis superque docet, eo justo celeriorem collapsum afferri, nisi infantes aetate jam aliquantum proiecti, aut constitutione valde plethorica praediti sint. Deinde vero notum, apud infantes vulnera, hirudinibus effecta, diu sanguinem emittere solere, idque, quominus fiat, vulgaria saepenumero remedia styptica minime prohibere. Duae igitur tresve hirudines plerumque sufficient, prout infans aetate proiectus fuerit.


Praeterea primum commendaverim Purgantia, inter quae praecipue Calomel et Tr. rhei aq., tum cutem incitantia.


Spasmis vero leniendis (abstine a narcoticis medicamentis) antispasmodicis utaris, Moscho imprimis, aut per se, aut Calomelani admixto, Liq. CC. succ. aliisque. Tum demum **Crocus orientalis** jure locum tenet, quum nec congestiones ad cerebrum augeat, nec alvum adstringat, et nervos tamen sedare valeat.














dis (abstine a narcoticis medi-  
odicis utaris, Moscho imprimis,  
Calomelani admixto, Liq. CC.  
um demum Crocus orien-  
tenet, quum nec congestio-  
augeat, nec alyum adstringat,  
edare valeat.

Spasm  
camen  
aut p  
succ.  
talism  
nes ac  
et ner




Image Engineering Color Reference Chart TESS Serial No.